



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCLXXVI. Ioannis Papae VIII. Ad Evmdem. Deusdedit Rauennatem
iniuste excommunicatum absoluit. confirmat illius cum Maria vxore
coniugium. iubet eum defendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

quoniam omni te communione ecclesiastica priuabimus,
& fugiendo, tuæ damnationis sententiam, tuique honoris
patieris iacturam. Data vi. Kalendas Augusti, indictio-
ne XIV.

EPISTOLA CCLXXVI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EVMDEM.

Deus dedit Rauennatem iniuste excommunicatum absol-
uit. confirmat illius cum Maria vxore coniugium.
iubet eum defendi.

*Reuerendissimo & sanctissimo Romano archiepiscopo Rauennati
pro causa Deus dedit Rauennatis, & Leoni venerabili episco-
po misso, & apocrisiario summæ sedis nostræ apostolice, nec non
quibusvis missis imperatoris & omnibus iudicibus, & populis
Romani territorii constitutis, cunctisque fidelibus sanctæ ecclesiæ,
præsentibus scilicet atque futuris.*

OMNIVM reuerentiam, omniumque industrias scire
hortamus, quod Rauennas Romanus archiepisco-
pus, & ore, cum Rauennæ fueramus, dixerit, & scriptis
transmiserit, quod nonnulla incesta coniugia in sua paro-
chia fuissent, & quotidie fierent. Deinde per suum lega-
tum, Dominicum videlicet presbyterum, ut ipsi triginta
& duo essent, dicendo significavit, sugerens, ut nostra au-
toritate ipsi eos liceret canonice omnes iudicare. Qui om-
nibus dimissis, quos etiam nominatim dixerat, & sola in-
ductus inuidia vt remur, & postea in sancta patuit Synodo,
Deus dedit fidelem nostrum, (qui, dum Rauennæ fuimus,
ipse penes nos quotidie fuit, & coram me, & ipso archiepi-
scopo causas, vt debuerat iudicavit,) postquam sedem apo-
stolicam appellauit, excommunicare non formidauit. Ipse
Deus dedit vero dux pro nostra fidelitate his obediuit, &
ad apostolicam præsentiam venire modis omnibus festi-
nauit. Nos suam causam audientes, & qui eum accusa-
re non debuerant, ex parte archiepiscopi non inuenien-
tes, poteramus ipsum absoluere, sed noluimus, usque-
quo archiepiscopo missemus, imo cui misimus, dicen-
tes: ut ipse archiepiscopus pro statutis sanctorum Dei ec-
clesiarum, vi. Idus Nouembris ad Synodum celeban-

Concil. Tom. 24.

Sf ij

dam veniret, deferens secum accusatores & testes : quatenus his delatis negotium Deus dedit inter alia canonice finissemus. Qui pro se sui cardinis Dominicum presbyterum, & Ioannem diaconem misit, transmittens cum illis scriptas accusationes : quibus scriptis coram sancta Synodo legitimis ; ad ea Deus dedit respondit, & se incestum, atque nefarium commisisse negavit ; sed coram omnibus se innocentem ostendit, & diuini mundanique iuris auctoritate se coniugatum probauit. Quapropter vna cum sancta Synodo illum absoluimus, & eum communioni nostræ recepimus, & Mariam coniugem suam illi vxorem esse legitimam firmauimus, cum benedictione Dei omnipotentis, & nostra : & si praefatus archiepiscopus, aut ministri eius in rebus suis suorumque hominum inuasionem, & fortiam facere voluerit ; vos Rauennates pro ipso illum in suis defendite. Data ut supra, indictione xiv.

EPISTOLA CCLXXVII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM IMPERATOREM.

Petrum & Zachariam legatos ad eum mittit, causa
corrigendi mala, quæ se, eo regnante,
perpeccum queritur.

Carolo imperatori.

QVIA nunc eadem omnibus vobis, iam Deo fauente, per humilitatis nostræ officium regnantibus, ubique patimur, & sustinemus aduersa, quæ ante vestræ imperialis gloriae prouectionem nos sustinuisse quotidie recordamur : his apostolatus nostri apicibus directis dignum duximus Augustali serenitati vestræ pro utilitate, ac multiplici necessitate ecclesiæ vniuersalis, cui per Dei gratiam præsidemus, sugerere, atque cognitum omnimodis facere, quoniam secundum commune placitum atque decreatum direximus Petrum insignem palatii nostri super ista delitiosum consiliarium nostrum, communemque fidellem, cum Zacharia venerabili episcopo, & bibliothecario sedis nostræ, pro recipiendis de omnibus, quæ hactenus perperam acta fuerant, iustitiis, & emendationibus, ac